



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

23. De libertate Episcopi Oeniandi erga Imperatorem Anast.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

Ioan. Zonorastom. 3. *Annalium*. De libertate Episcopi Oeniandi erga Imperat. Anastasium.

CAP. XXIII.

ANno 25. sui imperij impurus Anastasius Episcopum Oeniandum audiens disertum admodum esse, & qui ora omnibus sententię de passio Deo assertoribus obturaret: eum hortatus est, vt ad suam factionem decideret, pollicens eum quidquid petijisset ilicò accepturum. Cui Episcopus: Tu, inquit, potius ad orthodoxos transi: ne, dum opiniones impiorum hominum Seueri, Euty chis & Dioscori amplecteris, æterno igni addicaris. Similique apprehendens Imperatoris chlamidem: Hęc, ait, vestis nequaquam te post mortem sequetur, ò Imperator: sed sola comitabitur te pietas, ac virtutum habitus. Missam fac Ecclesiam, quam CHristus suo redemit sanguine. Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, neque vllum Ecclesię decretum perfectè intelligis: tantum imposturis & scurrilibus calumnijs fatuos terres. Satis sit tibi dignitatis, quod Imperator es: antistites Ecclesię vexare noli. Ad hęc Imperator pudore suffusus, obtulit. Pauperrimus autem cum esset ille Episcopus, ne obulum quidem ab imperatore voluit accipere: adeo liber erat, & solius in Deum fidei ac pietatis rationem habens.